

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DC LXXXII.

MARCI VELSERI

*Reipubl. Augustanæ quondam Duumviri, Opera Hi-
storica & Philologica, sacra & profana:*

Accurante

CHRISTOPHORO ARNOLDI.

Noribergæ, 1682. in fol.

UTI non uno nomine literatum orbem obstrictum sibi dudum habet vir clarissimus *Christophorus Arnoldus*: ita in nova hac Operum Marci Velsleri editione denuo meritis de eodem est præclare. Quotusquisque enim Eruditorum est, qui non optime consultum putet rei literariæ, recusis ac publico velut redonatis egregiis Velsleri monumentis, quæ longo jam tempore nullo pretio potuerunt comparari, ac legi tamen ac pervolvi diligenter ab omnibus omnino merebantur? Non fert instituti ratio, ut in laudationes clarorum virorum excurramus: ast sic tamen nobiscum omnes sentient, quibus Velsleri commentarios inspicere contigit, ut fuit vir in omni vita literarum amantissimus, ac in ornandis iis promovendisque incredibili studio, ita Boicas præcipue Antiquitates neminem eo certius eruisse, aut illustrasse rectius; quem proinde ducem sequi, spretis *Aventini* commentis, qui Bavaricæ post illum Historiæ manum admoverunt, *Brunnerus*, *Raderus*, *Adlzreuter*, *Rettenpacher*, nulli dubitarunt.

Præmittitur autem novæ huic Operum illius editioni Præfatio Arnoldi, qua instituti sui clarissimis viris, *Joachimo Camerario*, *Nicolaο Heinſio*, *Constantino Hugenio Zulichemio*, *Fr. Ben. Carpzovio*, *Antonio Magliabechio*, *Erid. Spanhemio*, *Jac. Gronovio*, *Henr. Meibomio*,
r
Henr.

Henr. Guntb. Thulemario dudum probati, ac ab iisdem liberali opera promoti, rationem reddit; doctorum simul virorum de singulis Velferi libris iudicia encomiaque exhibet; & postremo temere ac inexplorate a nonnullis librum, Italico primum idiomate editum, post in Latinam quoque linguam translatum, *Squitinio della Liberta Veneta, Scrutinium libertatis Veneta*, quo Venetæ Reipublicæ libertas oppugnatur, a *Theod. Grasvinckelio* & *Raph. de Turri* contra peculiaribus Scriptis asserta, Velfero nostro adscribi monet. Præfationem *Vita, Genus & mors Marci Velferi* anno 1558 nati, anno 1614 vero denati, per eundem *Christophorum Arnoldum descripta* excipit, qua & lectu digna alia, præcipue de Ferdinandi Archi Ducis Austriæ cum Philippina Velfera conjugio, ac Venezuela Americæ Orientalis provincia, a Velferis Caroli V. Imperatoris permissu multis annis possessa, continentur: & Velferi nostri illustre genus, quod a Belisariis & sexto post orbem redemptum seculo derivatur; familiæ illustres cognatæ ac affines; insignia Gentis; Majorum res pace belloque gestæ, & quibus fulserunt, cum Ecclesiasticæ, tum Politicæ Dignitates; ipsius Velferi studia, honores, amici, libri nomini illius inscripti, vel auspiciis etiam ac ope ejus editi, similiaque fuscè pariter ac doctè enarrantur; Subjectis infimul Elogiis, quibus Velferi funus ac memoriam Clarissimi per Europam viri jam olim prosecuti sunt. Adeo Velfero, etsi serius quam par erat, obtigit tamen felicitas eadem, quæ diu ante amicissimis ejus coætaneis *Peirescio* ac *Pinello*, quorum illum Gallia, hunc Italia, perinde ac Velferum Germania, ingentia inter decora sua numerat, ut virtutum suarum ac in bonas literas meritorum præconem nancisceretur laudatum virum, nec magis *Velferum Arnoldi*, quàm *Gassendi Peirescium*, vel *Pinellum Gualdi* pudere unquam possit.

Ipsa Velferi opera hoc ordine exhibentur.

- I. *Rerum Boicarum libri quinque*, Historiam a gentis origine ad Carolum M. complexi, & Augustæ Vindellicorum primum anno 1602 editi.
- II. *Rerum Augustanarum Vindellicarum libri octo*, Venetiis quondam anno 1594 excusi; quibus a prima Rhætorum ac Vindellicorum origine ad annum usque 552 a nato Christo, nobilissimæ gentis Historia & Antiquitates traduntur, ac antiqua Monumenta, tam quæ Augustæ, quàm quæ in agro Augustano, quin & quæ alibi

alibi extant ad res Augustanas spectantia, æri incisa & notis illustrata exhibentur.

- III. Opuscula nonnulla diversorum Auctorum a Velfero e tenebris in lucem eruta, & magnam partem Commentariis illustrata. Scilicet *Conversio & Passio S. S. Martyrum, Afræ, Hilarie, Dignæ, Eunomie, Eutropiæ, quæ Augustæ Vindelicorum passæ sunt: Vita S. Udalrici Augustanorum Vindelicorum Episcopi: Vita S. Severini ab Eugippio descripta: Narratio eorum, quæ contigerunt Apollonio Tyrio.*
- IV. *Fragmenta Tabule Antiquæ Itinerariæ, a metatore quodam, ut videtur, olim delineata, sed magni in Geographia usus, a Celte primum in quadam Bibliotheca repertæ, post ad Conradum Peutingerum delatæ, ex Peutingerorum Bibliotheca a Velfero cum erudita Præfatione edita, & commentariis illustrata.*
- V. *Marci Velferi Epistole Latine & Italice ad viros Illustres, Josephum Scaligerum, Justum Lipsium, Robertum Titium, & alios, quæ nunc primum prodeunt.*

Denique Velferianis monumentis visum Editori fuit *Sauli Merceri Virgilium Proteum* ab Henrico Meibomio quondam Marco Velfero dicatum, nec non *Publili Optatiani Porphyrii Panegyricum Constantino Augusto dictum*, cum Spicilegio notarum clarissimi Daumii subungere.

JOH. CASPARI SVICERI,
Canonici & SS. Lingu. Professoris Tigurini, THESAURUS ECCLESIASTICUS ex Patribus Græcis ordine Alphabetico concinnatus.

Amstelodami Anno 1682 in fol.

Singulari quadam illecebra, & bene de Ecclesia merendi cupidine, ad Linguae Græcæ studium, in primis vero ad Antiquitatis Ecclesiasticæ Scriptorum, quos Patres vulgo appellamus, lectionem raptus Autor doctissimus, in eo maxime a primis statim Professionis suæ annis sibi semper existimavit elaborandum, ut nulla extarent Ecclesiæ Luminum, vel etiam aliorum Scripta Græca, quæ non sedula volveret manu & ἀξιωματικῶς inde excerpta in suas conjiceret chartas. In

Y 2

hoc

hoc proposito cum obnixæ annorum plus viginti indefesso studio & continuis pergeret laboribus, id est consecutus, ut eum, quem hic exhibemus; collegerit, ac ordine alphabetico concinnarit *Thesaurum Ecclesiasticum*. Quale scriptiois genus a multis hæcenus frustra expectatum fuerat. In hoc enim Thesauro omni auro pretiosiore, non tantum voces ac loquendi modi apud Patres quidem Græcos obvii, sed a Lexicographis vel prorsus omissi vel jejune satis tractati, verum etiam varii veterum ritus, atque dogmata Orthodoxorum æque ac Heterodoxorum apparent: Multis in locis Heterodoxorum & Hæreticorum nugæ & impiæ sententiæ ex ipsis refutantur Patribus orthodoxis. Loca Scripturæ, quavis oblata occasione, ex Antiquitate illa sancta exponuntur. Summa, vix quidquam apud Patres Græcos occurrit notatu dignum, quod non ex eruditissimis temporum nostrorum Scriptoribus explicetur. Ut autem Lector memoriæ habeat subsidia, necessarij, iique copiosissimi adjiciuntur Indices. *Unus* Autorum, ex quibus hic Thesaurus est collectus, addito loco & anno impressionis: *Alter* Locorum Scripturæ hic explicatorum: *Tertius* Rerum ac Verborum, in toto Thesauro occurrentium. Cæterum uti hoc ad Cleanthis lucernam elaborato opere immortalem sibi famam Autor antehac ex scripto non uno Clarissimus conciliavit, ita sane multum lucis bonis Literis fœnerabitur, si quod promisit in præfatione, ac eruditus orbis nunc avide expectat, cum *Lexico Græco minori*, quod sub prelo sudat, *alterum* etiam *Lexicon Græcum Majus*, quod immenso fere labore collectum, & methodo naturali dispositum, omnes omnino voces exhibebit Græcas, additis ubique exemplis & variis significationibus distincte propositis, idque in duos in folio tomos distributum, publicæ luci propediem donaverit.

CAROLI RENALDINI

Operum Philosophicorum Tomus primus, Rationalem Philosophiam complectens, in Dialecticam, Rhetoricam, & Poeticam distributam.

Patavii, 1681 in fol.

INtegro equidem opere Philosophiam tripertitam, *Rationalem, Naturalem*, atque *Moralem* tradere; præsertim *Physica* ex accuratis naturalium

lium effectuum observationibus deducere, & ubi rei natura illud fert, Geometrice demonstrare instituit Autor, edita antehac Mathematicum Arte Analytica clarissimus: hoc primo tamen Volumine non nisi partem Philosophiæ primam nobis exhibuit, Dissertationibus Dialecticis, Rhetoricis, atque Poeticis ita comprehensam, ut videatur alicujus in Aristotelis Organon, in Rhetoricorum, & de Poetica libros Commentarii vicem præstare posse.

Ac ipsis quidem Dissertationibus *Præfatio* luculenta in universam Philosophiam præmittitur, de nomine, dignitate, partitione, ortu & incremento Philosophiæ, de variis olim Philosophorum sectis, diversisque etiamnum Philosophandi rationibus. Sic enim in contemplatione rerum versari observat nonnullos, ut alicujus autoritate contenti curam omnem in verbis perpendendis & interpretandis ponant, nihil frequentius, quam Pythagoricum illud, *Ipsè dixit*, usurpantes: Alios sibi arrogantes nimium, nullo prorsus duce, audere sese contemplationum oceano committere: In ea rursus quosdam esse sententia, ac si, constituta hypothesi qualicunque, naturæ penitiores recessus exploraverint, modo Phænomena decretis hypotheseos ad amussim respondere demonstrent: Alios vero inquisitionem principiorum, rerum, præsertim naturalium, indagini substruere, & ex his vel naturæ lumine perceptis, vel experimentorum usu comprobatis distinctam effectuum notitiam adipisci. Quam postremam viam Autor quoque hoc in Cursu terendam sibi duxit ipse, prioribus damnatis & relictis. Præfationem inauguralis *Oratio* de Rationalis Philosophiæ laudibus excipit, & hanc aliqua de Dialectica cæterarum Facultatum janua *Prolusio*.

Dissertationes ipsæ *Dialecticæ*, triginta quidem numero, quarum quælibet diversis sectionibus constat, de rebus Logicis, quandoque & Metaphysicis, agunt, ordine ad libros Stagiritæ in Organo comprehensos respiciente. *Rhetoricarum* dissertationum prima naturam Rhetorices considerat: cæteræ de inventionem, de probationibus, locis rhetoricis, dispositione, elocutione, causarum generibus, affectibus animi, & amplificatione loquuntur. In *Poeticis*, quo & hujus artis natura plenius intelligatur, primo loco Poeticæ, Poetæ, Poeseos item, & Poematis nomina evolvit, tum de metro, & imitatione (Autorum) ejusque vitiis, de causis Poeseos effectricibus, & furore Poetico: hinc de fictione Poetica, de fabula, de ejus adeoque & poematis ordine, magnitudine, & aliis

proprietatibus, de moribus, & de dictione differit. Postrema dissertationum in divisione poematum, in poesi Dramatica, Tragoedia, Comœdia, Epopœia; in Carmine Bucolico, Satyricoromano, Elegiaco; in Epigrammate, Epitaphio, & Elogio explicandis occupatur. Cui rerum tandem & verborum, quæ primo tomo continentur, copiosum indicem subjungit.

*SEXTI POMPEII FESTI ET MARCI
Verrii Flacci de verborum significatione Libri XX,
in usum Serenissimi Delphini Notis & emendationibus illustrati ab
ANDREA DACERIO.*

Parisi. 1681 in 4.

Complures Latinos Autores veteres, ad veram solidamque doctrinam Serenissimo Galliarum Principi Delphino instillandam, clarissimi literis in isto regno florentissimo Viri hætenus jussu illustrissimi Caroli Sancta-Maurii Montauzerii Ducis, Franciæ Paris, ediderunt. Is enim ad opus principalium studiorum bona fide promovendum a Rege Christianissimo adscitus, primam suam esse voluit curam, ut in humanioribus literis digna tanto alumno contingeret institutio. In ea autem principem locum tenere Veterum Autorum lectionem intelligens, istam ut tanto faciliorem Principi suo redderet, novam eorum omnium editionem adornari voluit: in qua amotis omnibus discendi molestiis, resectis etiam inutilibus & superfluis commentationibus, nihil admodum superesset, nisi quod Principem ad lectionem eorum invitaret, eamque perspicuam ac planam redderet. Editiones igitur has omnes ita a doctis Viris, quibus id munus delegaverat, sapientissimus Regiæ Juventutis Moderator adornari voluit, ut quatuor partibus bene constitutis priores vulgatas editiones longe antecellerent suæ: textu nempe Autoris ad optimos Codices emendato recteque constituto; interpretatione ejus perspicua & continua paraphrasi apposita; annotationibus brevibus & necessariis adjectis; ac indice omnium vocabulorum annexo, qui ad quævis loca reperienda viam commonstret. Ad has adornandas selectos ex omni genere & ordine viros literatos, propositis præmiis amplissimis, regia munificentia invitavit Illustrissimus Dux, operam præclaram conferente PETRO DANIELE HUETIO, cui

cui in regendis Delphini studiis cum Jac. Benigno Bossueto secundæ sunt partes, & quem Interpretum omnium Commentatorumque verum dicere possis Oraculum; quod consulant, si quibus in demando hoc opere harere contingeret, quodque solvat dignos vindice nodos. Prodierunt ad hanc normam exacti, diverso successu, elegantissimis typis mundissimæ chartæ impressi plerique veteres Scriptores Latini: sed cum ii, qui de lingua Latina ejusque differentiis ac proprietatibus verborumque significationibus monumenta reliquerant, minus exculi essent, eos quoque nitoris istius expertes amplius haud relinquendos statuit *Andreas Dacerius*, ac proinde Verrii Flacci, Festique Pompeji libris curas suas impendit. Nimirum scripserat M. VERRIUS FLACCUS nobilissimus sub Augusto Imperatore Grammaticus, de verborum significatione libros, quos in epitomen redegit, præteritis intermortuis & sepultis a Flacco explicatis verbis, SEXTUS POMPEJUS FESTUS, posteriorum temporum autor, quem sub Imperatoribus Christianis vixisse verisimile est. Fatum vero quod experti sunt plerique Scriptores ab aliis in epitomas redacti, Verrium quoque Flaccum excepit; nempe ut receptis retentisque hujusmodi breviculis, ipsi integri Autorum libri tandem perirent, vix bene superstitibus epitomis. Sane cum idem Festus ex ejusdem Flacci libris & aliunde congegesserit alterum volumen *priscorum verborum cum exemplis*; præter memoriam ejus Libro XIV in voce *profanum* ab ipso relictam, hodie nil superest. Ipsi etiam de verborum significatione libri mutili ad nos venerunt, culpa PAULI DIACONI, qui magnam a posteritate se initurum gratiam existimans, si Sexto Pompejo faceret quod is Verrio fecisset Flacco, inepto studio Sexti Pompeji Festi de verborum significatione libros fœde mutilavit, excerptis prout ipsi videbatur voculis, truncumque cadaver pro integro corpore nobis reliquit. Unius tamen tantæ cladi superstitis libri, sed deturpati, ad præstantes eruditione viros, Pomponium Latum, Manilium Rallum, Angelum Politianum, Aldum Manutium, & Antonium Augustinum delati beneficio, vitam quasi Festo reddita est. Nam postremus hic ab Achille Maffeo, Bernardini Cardinalis fratre, Festi codicem nactus eo locupletiore, qui ad Aldum Manutium pervenerat, quemque is cum Pauli epitome conjunxerat, gemino opere in unum conflato; accurate notato discrimine, quæ Festi & quæ Pauli essent, lectores monuit, cumque Fragmentis

tis quæ e Bibliotheca Farnesii Cardinalis nactus fuerat, & Commentariis eruditis in publicum emisit. Post eum Josephus Scaliger, & hunc secutus Fulvius Ursinus diligentissimam operam Festo præstiterunt, emendatioremque eum dederunt: ita tamen, ut multa intacta posterorum industriæ emendanda & restituenda reliquerint. Igitur ANDREAS DACERIUS auspiciis Illustrissimi Montauserii Ducis Scriptorem hunc illustrare aggressus, infinitas ex isto mendas a prioribus editoribus relictas sustulit, miras verborum trajectiones detexit, multa supplevit, nonnulla in prioribus editionibus prætermissa addidit, varias Lectiones annotavit, sed eas saltem, quæ alicujus essent momenti, eruditis denique notis universum Opus illustravit: adeo ut divites antiquitatis Romanæ thesauros & vera totius eloquentiæ fundamenta Serenissimo Delphino detexisse censendus sit. Nequaquam enim putandum, studium hoc circa verborum veras significationes ingenia saltem humilia occupare, quod altissimam exercere eruditionem & scientiam potest: siquidem, dicente Fabio, non obstant per eas euntibus, sed in iis hærentibus hæ artes Grammaticorum,

ANTIQUITATES ECCLESIAE ORIENTALIS, Clarissimorum virorum, Card. Barberini, L. Allatii, Luc. Holstenii, Joh. Morini, Abr. Ecchellensis, Nic. Peirescii, Petria Valle, Thom. Comberi, Joh. Buxtorffii, J. H. Hottingeri &c. Dissertationibus Epistolicis enucleata. Quibus præfixa est Joh. Morini Congr. orat. Paris, PP. Vita.

Londini 1682 in 12.

Quod clarorum virorum epistolæ ac vitæ multum lucis rei literariæ adferant, novo exemplo nuper docuit Autor, qui *Johanni Morini* vitam & Epistolas inter P. Ameloti libros, post ejus obitum repertas, publicavit. Nam ex illis cognosci potest, quo animi consilio vir ille doctissimus, non solum *Pentateuchum Samaritanum*, & *Exercitationes* in illum ediderit; sed & cur, antequam hunc publicaret, *LXX. viralem versionem* codicis S. *Græcam* cum nova præfatione, & postea alia opuscula evulgaverit. Nempe erat Morino ingenium excitatum & glo-

& gloriæ cupidum: quod ut deserta prius Religione Reformata, adprobaret Ecclesiæ Romanæ ejusque capiti R. Papæ, librum primo de *Patriarcharum & Primatum origine & antiqua censurarum in clericos praxi*, composuit, in quo Pontificis R. regimen monarchicum adstruere laboravit. Sed cum hujus operis minus accurate scripti ipsum mox poenitisset, opus molitus est novum edendo *Pentateuchum Hebræo-Samaritanum*, cujus Manuscriptum Parisiis e bibliotheca Societatis suæ acceperat. Autor ejus instituti ipsi fuit Cardinalis Berullus, Congregationis Oratorii Parisiensis dictæ patronus: quod Petrus a Valle, qui annos duodecim in Oriente vixerat, communicato ipsi novo manuscripto Samaritano, adjuvit. Inde Morinus postea *Exercitationes in Pentateuchum Samaritanum* conficere cœpit, & nactus ex Anglia novos codices Samaritanos, etiam *varias lectiones*, sub nomine *opusculorum Hebræo-Samaritanorum* Parisiis seorsim edi curavit. Scopus Morini in hoc opere fuit præcipuus, *ἀυθεντία* & authoritatem codici Hebræo S. detrudere, & contra Protestantium doctrinam, ejus versionum, imprimis *Vulgate*, autoritatem extollere. Quemadmodum ipse in Epistola ad Cardinalem Barberinum fatetur, *Vulgatam editionem fontibus Ebraicis multo puriorem ac limpidiorem fluere*. Videtur tamen postea sui oblitus esse, cum Ludovici Capelli Criticam S. Cardinali Barberino commendans, vulgatam versionem corruptam esse Bellarmini & Baronii testimonio comprobat. Antagonistæ, quos ob novi Pentateuchi sui Samaritani consecrationem habuit, in vita & Epistolis ipsius memoratis vel allegantur vel notantur, ut Simeon de Muis liter. Ebr. apud Parisinos Prof. Reg. Taylorus & Bootius, Anglus ille, hic Batavus, Joh. Heinricus Hottingerus & Johannes Buxtorfius, ad quem Epistolam in hoc libro LXX scripsit prolixam, probaturus *Puncta vocalia apud Judæos recentia esse*. Inter Epistolas heic collectas, curiosiores sunt I & II, quarum *illa* est Synagogæ Samaritanorum, quæ est in urbe Sichem seu Napolous ad Cl. Vir. Josephum Scaligerum, interprete Morino, qua fidem ritusque suos exponunt, & qua in re a Judæis discrepent, simul declarant: *Hæc* est Samaritanorum in Ægypto commorantium ad eundem Jos. Scaligerum de eodem argumento. Continent & cæteræ res ad historiam versionum Biblicarum, rituum sacrorum, & chronologiam Muhamedanorum pertinentes, non vulgares, quæ ut exscribantur hic, ratio nostri instituti vetat.

Z

D. MAT-

D. MATTHIÆ ZIMMERMANNI,

*Pastoris & Superintend. Misenensis**De Presbyteriis Veteris Ecclesiae**Commentariolus.*

Annæbergæ. A. C. 1681 in 4to.

Cum quadriennio abhinc Cl. Zieglerus eruditum suum de Diaconis & Diaconissis Veteris Ecclesiae Commentarium edidisset, amica quadam emulatione accensus Commentarioli hujus Autor, Presbyteras in theatrum orbis Literati producere animum induxit. Eo igitur consilio, quales Presbyteras Ecclesia Primitiva habuerit, quæ ministeria obierint, an & quomodo ad functiones suas initiatae fuerint, quando & quamobrem abrogatae fuerint, nec non quid discriminis Presbyteras inter & Diaconissas (quas ab *Holstenio in Dissert. 1. de locis quibusdam Concilii Niceni*, *Valesianis ad Theodoretum Annotationibus* & observationibus subjuncta, perperam eonfundi probat) extiterit, disquirat. Quod dum facit, Scripturae loca, Patrum dicta, & Canones Ecclesiasticos, in quibus Πρεσβυτέρων mentio sit, variorum Autorum, & imprimis *Christiani Lupi*, qui e suis ad Tertullianum de Praescriptionibus Scholiis haud pauca contribuit, observationibus illustrat, Presbyterarum occasione etiam ad Presbyteros digrediens, & quæ de illorum nomine, dignitate, ordinatione, ætate, numero, officio, sporulis, conjugio, & de variis eorundem generibus passim notata reperit, exponens. Antequam autem ad Presbyteras accedit, nonnulla de foemineo sexu in genere præfatit, & in fine dissertationis de *Jesuitissis* per Urbani VIII Bullam extinctis, nec non de Beguinarum secta, & variis Foeminarum Ordinibus aliqua subnectit.

CONAMEN NOVI SYSTEMATIS

Cometarum,

adornatum a

Jacobo Bernoulli, Basileensi.

Amstelodami 1682 in 8.

Spe-

TAB. X. ad A. 1682. pag. 179.






Fig. 2.



TAB. I.



Speciosa de *Aeternitate Cometarum* Hypothesi, non vulgaribus hactenus versata ingenii, *Autor* edito hoc scripto Systema adornavit; quo vago Cometarum motui leges præscriberentur, eorumque apparitiones non secus ac Luminarium Eclipses possent prædici. Paucis itaq; de *Ortu & Motu*, quem circularem putat, Cometarum præmissis; *Locum* ipsis, spatium intra fixas & Saturnum, 5000 & amplius Semidiametris Orbis Magni (quod ex Parallaxi Orbis annui Fixarum *Hoockiana* deducit) extensum, assignat.

Supposito deinde, cum *Cartesio*, Deum in plurimos Vortices Universum hoc divisisse, in centro uniuscujusque Fixa collocata, quam circa totus Vortex gyretur: Vorticis nostri Fixam facit Solem; & propterea *Solarem* nuncupat, in plures orbes sive coneameraciones, pro domicilio Planetarum, subdivisum.

Porro; juxta *Schema* I, & II, circa Solem A, primo Mercurii, de in Veneris, Telluris, Martis, Jovis & Saturni Orbes, extimumque Cometarum, FG ordinat: & ex hujus puncto F, pluribus peripheriis concentricis RH, XN, OP descriptis, unicuique harum peculiarem Cometam inserit, totamque peripheriarum compagem, *Cometarum Vorticem* appellat.

Tab. X.
Fig. 1. & 2.

Ex hoc duplicem Cometis motum, quo partim in *proprio Vortice*, circa punctum F; partim una cum F, a *Vortice Solari* (quod & *Solaris Vorticis* pars sit *Cometarum Vortex*, & citra hoc nullus eorum motu proprio semicirculum conficere queat) circa Solem A rotentur; exemplo satellitum Jovis tribuit: Cometasque adeo, Planetas secundarios puncti F, a primario quodam, sed ob corporis cum exiguitatem, tum immanem distantiam inconspicuo, haud dubie occupati, pronunciat. Orbitas ulterius Cometicas, nec in eodem cum Ecliptica plano, nec æqualiter omnes ad eam inclinatas; nec oculum nostrum necessario implicant; alias etiam in ortum, in occasum alias rotatiles; centrum vero earum F, vel in, vel prope planum Æquatoris, Eclipticæve statuit.

Cauda Cometarum producendæ, Solem tanquam ignem, circumfusus Planetas perpetuo coquere concipit: unde nunquam non magna exhalationum copia, e Planetis ipsoque Sole, *Fig. I.* egressa, motu *Vorticis Solaris* ad circumferentiam ejusdem undiquaque propellatur, ibique a renitentia superiorum Vorticum BDE ulterius progredi pro-

Z 2

habita,

hibita, affluente subinde nova materia, paulatim condensetur. Hanc Planetis supra Saturninis (post Cometis) per aphelium D incedentibus adhærere, auctamque accessu novarum exhalationum, dum Cometa ad Perigæum defertur, se in modum lati disci, omni ex parte circa illum, extendere; ita tamen, ut perpetuo altera disci planities Soli obvertatur. Ex quo porro rationem reddere nititur, *cur Cauda perpetuo in plagam Soli oppositam vergat?* quod videlicet radii Solis non nisi ex citiori disci parte LC, in eodem plano, cum Sole & oculo nostro, existente, ad nos in T reflectantur; reliquis intra C & M, aliorum plane repercussis. Porro circa nuperum Cometam, ex confecto æquali motu, bino æqualium temporum intervallo, Perigæum medio illo tempore, d. 20 Dec. colligit in 0 gr. 20 min. $\frac{2}{3}$; stationem vero observasse se memorat d. 7 Febr. st. veteri, & arcum a Perigæo ad stationem 99 gr. 51 min.

Unde ad eruendum Cometæ motum proprium, I. quantum motui apparenti ex (Fig. II.) translatione Telluris ab S in I accesserit, id est angulum ZFY, investigat, & 1. min. asserit. II. Ex collatione Perigæi, Cometæ Anni 1664, d. 20 Dec. in 20 gr. $\frac{1}{2}$: lineam Perigæi FA, adeoque punctum F, spacio 16 annorum, evoluto ter Zodiaco, 220 gradibus, 20 min. promotum; ipsamque revolutionem centri orbitæ cometicæ, annis 4, diebus 157 fieri colligit. III. constructa Tabella motus Perigæi, compertoque, Cometam circa centrum F, intra 50 dies, 1 gr. 17 min. provolutum: Ipsum eundem post annos 38, dies 147, in Perigæo suo, 1 gr. 12 min. $\frac{1}{2}$, denuo compariturum affirmat. IV. motum Cometæ diurnum, ex angulis α IU, β IU &c. Triangulorum AFI, β FI &c. (arcu sc. UH, 1 gr. 17 min. pro numero dierum, quos ab V ad H progrediendo Cometa insumsit, in partes tot æquales diviso) datis angulo ad F, latere FI, & Semidiametris F α , E ζ &c. indagari posse innuit.

Atque ex hoc Systemate evidentem rationem constare vult,
Cur Cometæ

1. Plus semicirculo nonnunquam perlustrent.
2. Omnes aut Eclipticam, aut Æquatorem, aut utrumque trajiciant.
3. Circulos hos omnifariis secant angulis.
4. Nodum Orbitæ mutant.
5. Oculorum judicio nec lineam rectam, nec arcum circuli maximi aliquando describant.
6. Alii juxta, alii contra seriem signorum incedant.

7. Pe-

7. Perigæa non in eodem Zodiaci loco fixa habeant.

8. Quantitate motus diurni varient.

9. Alius alio arcus majores motu diurno emetiatur.

10. Caudam in partem a Sole averfam tendant.

Posse etiam 11. duos tresve aut plures, quamvis rarissime fiat, simul apparere: &

12. 13. reditus eorum, locumque Perigæi prædici.

Claudit argumentum solutio geminæ objectionis, a reditu Cometæ dicto tempore hætenus non observato; & sublata, per talem apocatastasin, Cometarum prænuncia imminuentium malorum significatione, petita; cum Examine aliquo Hypotheseos *Hevelianæ*.

Ben. Lector: *Dum hæc typis exscribebantur, perfertur ad nos 13tia particula Ephemeridum Gallicarum de 25 Maji hujus anni: in qua habetur, Demonstratio Physica falsitatis Systematis Cometicæ Bernoulliani, per Dn. La Montre, Professore Mathematicæ Regium &c. quam subjuncturi hic eramus, nisi dispositis jam ad hunc mensem typis, operæ hypothetarum turbandæ fuissent. Interea dum proximus mensis eam Tibi explicet, Ipsi Tibi, quæ de Hypothesi isthac videbuntur digerenda, ut post cogitatis Clmî Montrei conferas, relinquimus.*

PHARMACOPOEA PERSICA EX IDIOMATE Persico in Latinum conversa.

Lutetiæ Paris. 1681 in 8.

Auctori qui Persico olim idiomate librum hunc composuit, *Mouzaffer Elen Moubammed el Hosseni* nomen fuit. Eum vero latinitate donavit nuper monachus quidam Ordinis Carmelitarum Discalceatorum congregationis S. Eliæ, Missionarii munere per 15 annos in Oriente functus, *Fr. Angelus a S. Josepho*, Missionariis omnibus in Orientem deinceps profecturis hac opera inprimis consulturus. Nempe cum Christiani nomen Persis ac Muhammedanis aliis exosum valde sit, adeo ut inter decem res immundas speciali lege declaratas (quæ sunt, urina, stercus, sperma hominis & animalis immundi, sanguis fluidus, morticinum, vinum, aqua vitæ & omnis potio inebrians, sus, canis, & infidelis) Christianum quem infidelem vocant, omnium immundorum immundissimum, & præcedentium sordium velut epitomen, censeant, ac a Christianis omnibus non minus, ac nos a carnificis, Judæi, aut peste infecti commercio, abhorreant: dici non po-

rest, quam difficilis Missionariis, inexercitatis præcipue necdum linguæ peritis, ad Persas aditus sit, ædes pariter ac corda hominibus invisibilibus & quos fugere lege jubentur, occludentes. Ast nulla arte, nullaque industria, tum domus Persarum, tum corda, facilius referari possunt, quam Medicinæ beneficio: ut facili negotio conciliare sibi Persarum animos possint, quotquot medica arte excellunt, miseraque gens non assuescat tantum paulatim Christianis Medicis, spe valetudinis eorum ope recuperandæ, aut recuperatæ memoria, sed & aurem ipsis præbeat de religione differentibus, imo suis eos Doctoribus ac Sacerdotibus ob eruditionem & pietatem præferat, ac velut thaumaturgos veneretur. Tantum ergo Medicinæ in convertendis infidelibus usum cum perspexisset monachus noster, antiqui cujusdam Missionarii, *P. Matthæi a S. Josepho*, qui summo studio Medicinæ arcana scrutatus fuerat, quemque verum *Horti Malabarici*, superioribus annis editi auctorem ait, exemplo incitatus, juxta Matheseos studium, quod & ipsum magno Missionariis esse usui fatetur, Medicinam cum Persicæ linguæ exercitio colere atque facere cœpit, idque conatu minime irritum. Ut autem publico, & imprimis Missionariis aliis magis inserviret, præsentibus has superius nominati Persæ *Compositiones Pharmaceuticas*, in Latinum idioma convertit, continentes multa medicamina officinalia Orientalibus cum nostris Pharmacopœis communia, quædam plane singularia, cuncta vero idiomate Persico æque ac Latino nominata, ac secundum ordinem Alphabeti Persici disposita, una cum indice duplici, pharmaceutico nempe, ac Pathologico seu Therapeutico potius. Quamvis autem notis selectis singula capita illustrare, ut quidem in animo habuerat, Romam ad officium Prælectoris Linguarum Orientalium in Seminario S. Pancratii vocatus, non potuit, Specimen tamen aliquod notarum operi subjunxit, ponderum explanationem, ac nonnullorum simplicium magis descriptiones egregias & accuratas continens.

Non prætermittenda etiam est Fr. Angeli a S. Joseph in præfatione Pharmacopœæ Persicæ facta (p. 38.) digressio Critica, circa naves & errores in versione Persica Sancti Evangelii, qua usus est *Brianus Waltonus in Bibliis Polyglottis*. In ea enim ostendit Auctor, errores aliquos ejus versionis a Brianus Waltonus & Annotationum auctore Thoma Gravio observatos quidem, alios tamen nimis officiose excusatos. Unde ambigit, quis magis reprehendendus sit, an anti-

quus

quus Interpres Persicus Simon Filius Joseph; an Latinus Interpres versionis Persicæ Samuel Clericus; an Compiler ipse Waltonus; an auctor Annotationum Thomas Gravius trium illorum, ut loquitur, advocatus. Etenim Simon idiota haut dubie & incautus, Schismaticorum Orientalium more, vulgarem duntaxat rudiolemque patriæ dialectum callens, in fœdos errores facile lapsus est. Specimina eorum sunt:

1. Spiritum S. *Gi-oun pak*, i.e. animam puram absolute vocat, effingens sensum Matth. 28. *In nomine Patris & Filii, & animæ puræ.* Sæpius autem eundem terminum simul cum Arabica voce copulat, videlicet *ROUHEL QODOS* (p.39.) Samuel Clericus *Gi-oun* vertit non animam, sed mentem. Waltonus putat, *ισοδύναμα* mentem puram, & Spiritum S. Gravius annotat, *Gi-oun pak*, purum Persicum Spiritus S. nomen, ab Interprete cum Arabica appellatione Persis familiari *Rouhel qoudous* sæpe conjungi (p.44.) Sed monet Metaphrastes Pharmacopœæ, nec Christianos Orientales (si forte rusticos excipias) unquam personam Spiritus S. appellare Persice aut Turcice *Gi-oun pak*, sed Arabico nomine *Rouh el qoudous*, nec Persas Auctores ullos nomen *gi-oun* seu animæ, absolute DEO tribuere, & in Lexico Persico Golii alibique *Gi-oun* reddi animam sensitivam. Hinc non immerito Simonem haberi Schismaticum aut hæreticum circa, Spiritus S. divinitatem (p.42.)

2. Luc. X. 4. *Schust-gab* baptismum vocat, cum id nomen baptismi locum seu baptisterium significet.

3. Joh. V. *Sicut Pater habet vitam in semetipso; sic exprimit, sicut Pater vitam in persona fermenti sui habet.*

4. Matth. c. 28. Christi mittentis Apostolos verba, *docete, baptizate in nomine Patris*, exprimit: *baptizate* h.e., *aqua adhibita idololatrias seu ignicolas facite.* Scilicet non solum Mohammedanis familiaria sunt scommata, quibus Christianos vocant Infideles, Idololatrias aut pyrolatrias, sed & ipsimet Christiani sub jugo Mohammedico ex pusillanimitate, Turcam aut Persam allocuturi, Tu es Musulmannus (Fidelis) inquit, & ego infidelis. Tales ergo appellationes ab hostibus impositæ Christianorum innocentiae, in Interprete Scripturæ ferendæ non sunt. Cum ergo Persica ista versio stylo & idiomate vili obsoletoque, vocibus indignis ac nugatoriis scripta sit, narrat Auctor, Missionarios illam Persarum peritiorum manibus non porrigere, ne aut scandalum aut cachinnos excitent.

GEN-

GENNADIUS DE PRÆDESTINATIONE, LA-

*tinitate donatus & Commentariis illustratus a Carolo Libertino,
Societatis Jesu Sacerdote.*

Vratislaviæ A. 1681 in 4.

DUæ nimirum hujus Libelli sunt partes. In prima legitur Textus Græcus Gennadii, illius scilicet, qui alias Georgius Scholarius dicitur, altero Gennadio, Presbytero Massiliensi, integri circiter millenarii spatii, cum currente seculo XV. Patriarcha Constantinopolitanus fuerit, junior; Et versio latina Caroli Libertini; nulla prorsus mentione facta similis versionis, quam Federicus Morellus antehac adornavit & Parisiis edidit A. 1618, adeo ut novo huic Interpreti atque Editori contigisse videatur, quod Philippus Labbe, Societ. J. Theologus, in descriptione hujus Gennadii, aliis accidisse notat; ab iis nimirum hanc interpretationem atque editionem observatam non fuisse. In secunda vero parte subjiciuntur Notæ Caroli Libertini, scopo Autoris prudenter in omnibus conformatæ. Cum enim ille duplici consilio hunc libellum ediderit, primum quidem, ut contra Atheos & Epicureos, autoritate Gennadii ejusque rationibus, assereret providentiam divinam; deinde ut scientiam mediam, quam foetum alias Societatis Jesu vocant, antiquioribus Scriptoribus incognitam non fuisse probaret; occupatus fuit non tam circa voces, quam res ipsas, declarans assertiones Gennadii de providentia Dei, easque firmans magis magisque; scientiam vero mediam e textu, imo ex ipso Augustino per excursionem part. 2. p. 33. seqq. deducere annisus, lectu in toto hoc Commentario, etiam apud Nostros, si paucas de prædestinatione sub conditione meriti dictiones excipias, non indignus.

JO. PICI MIRANDULÆ EPISTOLARUM LI-

*ber, recensitus & illustratus a Christoph. Cellario Smalcaldienfi. Prostat
Cizæ & Jenæ apud Jo. Bielk. Bibliop. Jen. A. 1682 in 8.*

Illustris & consummatissimi viri Jo. Pici Mirandulæ epistolas ad ætatis suæ viros clarissimos scriptas, & Lutetiæ, Venetiis & Basileæ olim non sine mendis recusatas, nuperrime recensuit & emendavit clarissimus Vir *Christophorus Cellarius*. Præmisit singulis epistolis argumentum summam, & plerisque etiam notas breves addidit, ut autores atque testes, ad quos subinde, dubie plerumque & obscure, provocat, non ignorentur. Sub calcem illarum, præter indicem, clarissimorum virorum testimonia, quibus laudes Pici Mirandulæ illustrantur, adjecit.

UN

E, LA-
rtino,


r Textus
rius dici-
millenarii
anus fue-
atione fa-
navit &
ori conti-
descripti-
interpre-
vero par-
nter in o-
llum edi-
tate Gen-
de ut sci-
ntiquiori-
fuit non
i de pro-
o mediam
qq. dedu-
Nostros, si
excipias,

M LI.
Prostat

las ad æ-
Basileæ o-
vit claris-
rgumentis
atque te-
non igno-
rorum te-

UN

Fig. 1



TAB. XI. ad A. 1682. p. 185. *seqq.*

Fig. 4.




Fig. 3.






Fig. 2.





UNICUM OPTICÆ, CATOPTRICÆ,
& Dioptricæ Principium

Autore G. G. L.

Hypothesis primaria his scientiis communis, ex qua omnis radiorum lucis directio Geometricè determinatur, hæc constitui potest: *Lumen a puncto radiante ad punctum illustrandum pervenit via omnium facillima, quæ determinanda est primum respectu superficierum planarum, accommodatur vero ad concavas aut ad convexas, considerando earum planas tangentes.* Non tamen hic rationem habeo quarundam irregularitatum, fortasse locum habentium in generatione colorum aliisque phænomenis extraordinariis, quæ in praxi Optica non attenduntur.

TAB. X.
Fig. I.

Hinc in Optica simplici, radius directus a puncto radiante C ad punctum illustrandum E pervenit via brevissima directæ, eodem nempe manente medio, id est in linea recta CE.

In Catoptrica angulus incidentiæ CEA & reflexionis DEB sunt æquales. Sit enim punctum radians C, illustrandum D, speculum planum AB: quæritur punctum Speculi E, radium ad D reflectens. Dico id esse tale, ut tota via, CE + ED fiat omnium minima, seu minor quam CF + FD, si nimirum aliud quodcunque speculi punctum F fuisset assumptum. Hoc obtinebitur, si E sumatur tale, ut anguli CEA & DEB sint æquales; ut ex Geometria constat. Hac demonstratione usi sunt Ptolemæus & alii veteres, extatque tum alibi, tum apud Heliodorum Larissæum.

In Dioptrica sinus complementi, EH & EL, angulorum incidentiæ CEA, & refractionis GEB, servant eandem semper rationem, quæ est reciproca resistantiæ mediorum. Sit IE aer, EK aqua, vel vitrum, vel aliud medium densius aere; punctum radians in aere C, punctum illustrandum sub aqua G: quæritur, qua via radiet illud ad hoc; seu quod sit punctum E in superficie aquæ AB, radium a C emissum refringendo mittens ad G. Hoc E sumi debet tale, ut via sit omnium facillima. Jam in diversis mediis viæ difficultates sunt in composita ratione & longitudinis viarum, & resistantiæ mediorum. Sint rectæ m & n repræsentantes resistantiam respectu luminis, illa aeris, hæc aquæ; erit difficultas viæ a C ad E, ut rectangulum sub CE & m; a E ad G, ut rectangulum sub EG & n. Ergo ut difficultas viæ CEG sit omnium mini-

Aa

ma,

ma, debet summa rectangulorum CE in m & EG in n esse omnium possibile minimum, seu minor quam CF in m & FG in n ; sumto puncto F alio præter E quocunque. Quæritur E. Cum ergo puncta C & G item recta AB, data sint positione, ideo rectas datas ad planum perpendiculares, vocabimus, CH, c ; & GL, g ; ipsam autem HL, b , etiam datam. At quæsitam EH vocabimus y , erit EL, $b-y$, & CE, $\sqrt{cc + yy}$, quam vocabimus p ; & EG erit $\sqrt{gg + yy - 2by + bb}$, quam vocabimus q . Debet ergo $m\sqrt{cc + yy} + n\sqrt{gg + yy - 2by + bb}$ (seu $mp + nq$) esse omnium possibile similiter enuntiandarum quantitatum minima, & ut talis fiat, quæritur y . *Ex mea methodo de maximis & minimis*, quæ super omnes hæcenus notas calculum mirifice contrahit, primo statim obtutu, sine ullo propemodum calculo patet, fore mqy æqual. np , $b-y$ seu np ad mq , ut y ad $b-y$, seu rectangulum CE in n ad rectang. EG in m , ut EH ad EL. Ergo positis CE & EG æqualibus, erit, n resistentia aquæ respectu luminis, ad m resistentiam aeris, ut EH sinus complementi anguli incidentiæ CEA in aere, ad EL sinum complementi anguli refractionis GEB in aqua; seu sinus complementi erunt in reciproca resistentiæ mediorum ratione, quod asserebatur. Itaque si EL in uno exemplo vel experimento reperiatur esse duarum tertiarum ipsius EH, erit & in aliis omnibus, ubicunque C & G sumantur, illud in aere, hoc in vitro. Si E in aere & G sub aqua; erit EL, $\frac{3}{4}$ ipsius EH circiter.

Reduximus ergo omnes radiorum Leges experientia comprobatas ad puram Geometriam & calculum, unico adhibito principio, sumto a causa finali, si rem recte consideres: neque enim radius e C egrediens consultat, quomodo ad punctum E vel D vel G pervenire quam facillime possit, neque per se ad ipsa refertur; sed Conditor rerum ita creavit lucem, ut ex ejus natura pulcherrimus ille eventus nasceretur. Itaque errant valde, ne quid gravius dicam, qui *causas finales* cum *Cartesio* in Physica rejiciunt, cum tamen præter admirationem divinæ sapientiæ, pulcherrimum nobis *principium* præbeant *inveniendi* earum quoque rerum proprietates, quarum interior natura nondum tam clare nobis cognita est, ut causis efficientibus proximis uti, machinasque, quas conditor ad effectus illos producendos, finesque suos obtinendos adhibuit, explicare valeamus. Intelligimus etiam hinc veterum meditationes in his quoque rebus non adeo esse contemnendas, ac hodie quibusdam vide-

videtur. Nam mihi valde verisimile fit, summos Geometras, *Snellium* & *Fermatium*, versatissimos in Veterum Geometria, methodum, qua illiusi erant in Catoptrica, ad Dioptricam traduxisse. *Snellii* sane theorema, quod ex ejus tribus Opticæ libris ineditis affert V. Cl. *Isaacus Vossius*, suspicor simili fere methodo (licet non tanta opinor, quanta hic usi sumus, calculi facilitate) repertum fuisse. Ex nostro enim statim sequi, sic ostendam. Circulus CBG, centro E radio EC vel EG describatur, hujus in B tangenti productæ occurrant CE in V, & EG in T. Sit oculus in C, objectum quod sub aqua videtur in T, & punctum T apparebit esse in V, quia per lineam rectam CEV videre nobis videmur, cum tamen videamus revera per fractam CET, patet EV esse secantem anguli incidentiæ CEA vel ei æqualis VEB; & ET esse secantem anguli refractionis GEB. Sunt autem, ex nota trigonometriæ propositione, secantes reciproce ut sinus complementi, ergo directe EV ad ET, ut EL ad EH, seu (per theorema nostrum) ut m ad n . Ergo oculo C existente in alio medio quam objectum T, erit radius in medio objecti (aqua) apparens EV, ad radium in medio objecti (aqua) verum ET, ut m resistantia (aeris) medii oculi ad n resistantiam (aquæ) medii objecti. Quæ ratio cum semper sit eadem, iisdem manentibus mediis, ideo ratio inter radium verum ET & apparentem EV, semper eadem erit, quod erat theorema *Snellianum*.

Eodem modo ratio EL & EH sinuum complementi angulorum refractionis & incidentiæ, cum nobis sit reciproca resistantiæ mediorum, semper eadem erit: quod est Theorema *Cartesianum*, licet de resistantia mediorum diversa nostris, imo contraria senserit *Cartesius*. Quare non abs re CL. *Spleissius* vir in his quoque studiis versatissimus animadverso hoc consensu conclusionum, dubitat annon *Cartesius*, cum in Batavis esset, viderit Theorema *Snellianum*; notat enim solenne ipsi fuisse præterire nomina autorum, & exemplum affert Mundanorum Vorticum, ad quos *Jordanus Brunus* & *Johannes Keplerus* ita digitum intenderint, ut tantum istud vocabulum ipsis defuisse videatur. Accedit, quod *Cartesius* Theorema hoc suum proprio Marte demonstraturus in magnas incidit salebras: quoniam enim videbat radiū CE ex aere in aquam delatum, ibi refringi in EG, & ita versus perpendicularem EK, adeoque illi radio similiorem reddi, cujus fortior est actio, nempe perpendiculari; suspicatus est, eum minus resistantiæ invenire in aqua, vel in vitro, quam in aere. Cum tamen supponendo contra-

TAB. XI.
fig. 2.

rium, quod multo magis rationi consentaneum est, adhibito nostro facillimæ viæ principio, ad eandem conclusionem perveniatur. Unde recte collegit *Fermatius*, *Cartesium* non reddidisse veram theorematism sui rationem. Similitudo quoque, qua illustrare conatur explicationem suam, parum apta est. Sit in *fig. 2.* globulus A super tabula polita BC procurrens in loco 1A: is in medio occurſu offēdat partem tabulæ DE, tapete inſtratam, ubi curret tardius in 2A. Eodem igitur modo putat vitrum aliudve corpus ſolidum minus morari radios lucis, quam aerem, qui ſit magis villoſus. Sed (ut taceam & aquæ partes ſatis molles eſſe ſecundum ipſum *Cartesium*) ſufficit conſiderare globulum, ubi ex 2A, tapete DE ſuperato, rurfus ad partem tabulæ politam in 3A pervenit, ibi non recuperare priorem celeritatem, quam habebat in 1A, antequam tapetem offēderet: cum tamen radius lucis ex medio magis reſiſtente in medium minus reſiſtens, primo ſimile, rurfus ingreſſus, priorem ſtatum recuperet, & poſito duorum mediorum ſimilium, primi & ultimi, ſuperficies (illius emittentem, huius recipientem) eſſe planas parallelas, Directionem recipiat, per reſractionem poſteriore illi parallelam, quam habuit ante priorem.

Videtur tamen modus, quo *Cartesius* reflexionem pariter ac reſractionem lucis, ad imitationem motus aliorum corporum explicat, ingenio ejus dignus, nec rejiciendus, ſed tantum emendandus. Nam quod ad reflexionem attinet, prius explicandum ipſi erat, cur globus aliquis ut I, ſecundum perpendicularē IE incidens in planum AB, inde reſlectatur; videmus enim, aliqua corpora, ut mollia, non æque reſlecti. Cujus reflexionis vera cauſa eſt Elaſtrum vel globi, vel plani, vel utriusque; nam cedit non nihil planum Elaſticum, ut videmus facere membranam tenſam, vel veſicam inflatam, lapillo incidente, & quidem cedit tanto magis, quanto fortior erit iſtus; eoque majore vi ſeſe reſtituens, id quod inciderat, ea qua venerat via & celeritate rejicit. Quanquam enim *Cartesius* hanc reflexionis explicationem jam ſuo tempore a quibusdam allatam, ferre noluerit, ut patet ex *Epistolis*: hodie tamen rationibus atque experimentis extra dubium poſita eſt. Cum ergo globus veniat ex C ad E recta CE in *Fig. 1.* motuque proinde compoſito ex duobus, horizontali ut CI vel HE, qua venit ex CH ad IE, & perpendiculari, ut CH vel IE, qua venit ex CI ad HE; utro-

utroque incipiente a C, terminante in E; & ejus in E venientis conatui horizontali ex CH versus IE in recta CI vel HE, non opponatur, sed parallela sit superficies AB, ideo celeritatem pariter & directionem motus horizontalis illibatam retinebit, & quantum temporis insumsit, ut veniret ex CH ad IE, insumet etiam, ut veniat ex EI ad RD; positis intervallis inter CH & IE, item EI & RD æqualibus. Verum motus perpendicularis, quo venit ex CI ad HE, retenta celeritate, in contrariam directionem vertetur, ut temporis tantundem insumat, quo revertatur ex ER ad ID, cum ergo sit ER æqualis ipsi EH, & RD ipsi CH, Triangula CHE DRE similia & æqualia erunt, adeoque angulus DEB angulo CEA æqualis. Omnia hæc clariora erunt, si fingamus regulam CID superficiem AB parallelam servato parallelismo per CH, DR, ipsi AB impingere in HR, dum interea globus in ipsa regula CI fertur a C ad I, unde revera totus compositus globi motus erit in diagonali CE; regula autem CID repercussa a superficie solida AB, eadem celeritate & via qua venerat redibit, & æquali tempore iterum veniet in CID, dum interea globus continuato in regula motu eadem celeritate perrexit, ac proinde eodem tempore pervenit ex I ad D, per ID æqualem ipsi CI, nam manente eadem celeritate æqualibus temporibus æqualia spatia percurruntur, itaque globus motu composito ex proprio super regula, per ID, & motu ipsius regulæ per E, redeuntis scilicet ex HR in CD, feretur ex E in D per rectam ED.

Pro refractione explicanda considerandum est, Medium magis resistens lumini (sine opacitate tamen) illud esse videri, quod magis impedit luminis diffusionem seu distributionem per plures medii partes, idque dici poterit minus illuminabile, luminis enim natura se diffundere nititur. Contra, quanto magis lumen æquabiliter partes medii, quod illuminat, afficiet, aut quo pluribus insensibilibus loci illuminati particulis suam vim communicabit, eo medium magis erit illuminabile, minusque lumini resistet. Unde quo partes medii lumine affectæ magis sunt solidæ & exiguæ, aut minus inter se pro alia heterogenea materia a lumine nihil patiente, spatii relinquunt, eo magis illuminatum esse dicetur medium. Verum constat ex Mechanicis principiis, eundem ictum pluribus corporibus simul impressum, minorem singulis vim dare, quam si uni eorum fuisset inflictus; ideo fiet, ut in medio magis resistente diffusioni luminis, seu secundum

dum pauciores partes affecto, singulae partes tanto fortius afficiantur; in magis illuminabili plures, sed debilius, impetuque impresso languidiore. Assumendo jam motum globuli loco radii, & ponendo globulum ex G venientem in E, ibi in medium incidere, quod celeritatem ejus seu impetum retardet, proportionem si lubet sesquialtera, ergo si tempore unius scrupuli venit a G ad E in priore medio KE, idem in novo medio EI tempore unius scrupuli & dimidii veniet ab E in C, posito EC & GE esse aequales, ubicunque demum sit C. Sed cum celeritati horizontali, in GK, LE & parallelis exercitæ, sub primum ingressum globuli in novum medium EI seu in ipso puncto E, superficies mediorum separatrix AB non obstiterit, (hanc enim motus horizontalis LEH tantum radit) in ipso autem primo ingressus momento, seu in puncto E, (globulum considerando indefinite parvum instar puncti, ut & radii solent quasi sine latitudine spectari) statim determinanda sit lineæ CE inclinatio: ideo talis statim initio assumenda est, ut respectu motus horizontalis eadem maneat velocitas, & qualis initio ingressus in novum medium assumpta est, talis in eo manet. Ergo globulus, qui dum iret in medio priore a G ad E, absolverat scrupulo temporis horizontali directione intervallum GK vel LE (inter GL, KE); is nunc scrupulo uno & dimidio temporis, quo ire debet ab E ad C, absolvet in eadem horizontali directione intervallum EH vel IC (comprehensum inter EI, & HC) quod debet esse sesquialterum prioris LE; quia eadem manente velocitate horizontali, (quam momentum refractionis non immutat,) spatia sunt ut tempora, est ergo EH ad EL, in ratione directa temporum, seu reciproca celeritatum, seu reciproca resistentiarum, ostendimus enim in casu luminis a resistentia medii diffusionem impediante velocitatem seu impetum pro resistentia crescere, & pro majore diffundendi sui facilitate in singulis partibus languescere: Contra radium vim suam atque adeo directionem recuperare, cum iterum in medium venit, ubi minor diffusio est, pluresque radii in pauciores partes impellendas impenduntur, quam recuperationem *Cartesius* sua tapetis vel alterius corporis villosi comparatione explicare, ut supra monuimus, non potuisset.

OCCUL

OCCULTATIO PALILICII

Anno 1681, die 1 Januarii vesp. st. n. observata

GEDANI

a JOHANNHE HEVELIO.

Eadem die, cum Cometa a me observaretur, simul feliciter, & quidem accuratissime Palilicium a Luna gibberosa ad oppositionem tendente observavi tectum, quod phaenomenum, ut rarissimum est, sic meretur probe notari. Cum primis quia non solum punctum ipsius immersionis, sed & ejus emersionis admodum praecise deprehensum est: prout subsequens observatio & delineatio ostendit.

Hor.	/ //			
6.	47. 0	Palilicium distabat a confinio lucis & umbrae tanto spatio, quanto M. Christi removetur a limbo Lunae inferiori.		
7.	37. 0	Stella occultata est ad mare Syrticum, sub insula Cercinna, alto Capite Andromedae.	50.	32
7.	46. 0	Altitudo capitis Andromedae observata	49.	24.
7.	49. 30	Eadem altitudo capta.	48.	55
8.	46. 0	Palilicium rursus affulsit ad inf. Majorem Maris Caspii.		
		Transiit itaque via ejus itineraria, ratione Macularum Lunarium, per Mare Syrticum, M. Athos, sub inf. Lemnos, per Montem Didymum, sub Sinu Atheniensi, per Fretum Ponticum, atq; insulam Majorem Maris Caspii.		
8.	51. 0	Altitudo Capitis Andromedae extitit.	40.	22

EADEM OCCULTATIO PALILICII

*Coburgi in Arce Saxonica, Ehrenburg/**observata*

a GOTHOFREDO KIRCHIO

Tem-

Tempus secundum horologium ambulat.	Altitudines.		Tempus ex altitudinibus deductum.
H / //	Gr. /		H / //
6. 40. 0		Palilicium per tubum 2 ped. non procul a Luna spectabatur, nudis oculis vero jam inconspicuum erat.	6. 49. 0
6. 50. 0		Nondum obtecta erat Stella.	6. 59. 0
6. 54. 0		Palilicium, extremum Sinus Sirbonis, & margo inferior Montis Sinai, eandem constituebant lineam rectam.	7. 3. 0
6. 56. 0		Stella a Luna jam erat tecta, & tam per tubum 4 pedum, quam decempedalem, inconspicua.	7. 5. 0
7. 8. 0	16. 0	Altitudo Lucidæ Lyræ.	7. 16. 12
7. 10. 0	15. 35	Eadem altitudo.	7. 19. 56
7. 12. 30	15. 25	Rursus capta.	7. 21. 28
7. 46. 0.		Stella nondum affulgebat.	7. 55. 0
7. 57. 0		Stellam nondum conspiciere potui.	8. 6. 0
8. 0. 30		Stella egressa erat, & distantia ejus a margine Lunæ occidentali tanta erat, ut exitum circa Hippoc. Montes ante 2. vel 3. min. factum esse existimarem.	8. 9. 30

EXCERPTUM EX COLLECTIONIBUS PHILO-

*sophicis Anglicis, no. 2. 1681. novum genus lampadis a ROB. BOYLE**Armigero inventum exhibens.*

Figuræ Explicatio.

ABCD Receptaculum est, ex orichalco paratum ac probe conferruminatum.

BCEE

BC, EF Duo hujus vasis fundi.

FG Tubus, dictis fundis impactus, cujus apertura majorem vasis capacitatem PA spectat. TAB. XI.
Fig. 3.

H Foramen in tubo FG, duos inter fundos BC & EF conspicuum

I aliud foramen in tubo FG, cui canalis IG impactus ad G inflectitur.

PP Vasculum, recipiendo Lampadis elychnio inserviens.

LM Tubus angustior, utrinque patens, operculo AD ad L & fundo EF ad M infixus, ut hujus beneficio externus aer spatio, binis fundis EF & BC intercepto, communicetur, nec tamen in vasis cavum AF illabatur.

N. Tubus brevior, foramini operculi AD impactus, per quem oleum in cavum vasis AF infundi queat, subere postmodum probe claudendum.

Hæc quo impleatur machina, orificium G tubi IG conformi & longiore claudendum est paxillo, ut & L tubi LM. Quo facto instillatur oleum per tubum N, statim quoque exactius obturandum: Duo autem illa, sc. G. & L recludenda sunt. Atque sic oleum per canalem IG ad vasculum annexum P fluet, & hoc eo usque implebit, donec superficies illius in eodem cum foramine H horizontis plano constituatur.

Atque jam nullo negotio deprehenditur, Lampadem sic adornatam omnibus illis incommodis vacare, quibus Cardani est obnoxia.

Nam (1.) in illam aer non cum impetu & confertim nimis influit, sed ubi oleum in PP a flamma eo usque consumptum est, ut ejus superficies infra foramen H descendat, ex cavo AF aliud oleum sensim in PP defluit, propterea, quod spatium in ventre AF ab hujus destillatione relictum, aere externo facile repletur, utpote qui per tubum LM & foramen H in cavitatem AF penetrat.

(2) Aer in cavitate AF contentus, calore aliquali si attenuatur, multum olei expellit, quo ipso Lampas Cardani facile extinguatur: at hic oleum expulsum æque in locum fundo geminato interceptum, ac in receptaculum PP derivatur. Quoniam vero spatium hoc inter duos fundos, utpote amplius, vicies vel tricies plus olei quam vasculum PP recipit, contingit, superficiem olei vicies aut tricies minus in hoc receptaculo ascendere, quam si omne oleum eo fuisset delatum. Quare replendæ huic lucernæ dum instillatur oleum, tubus L satis exacte obstruatur, quo sc. inter duos fundos BC & EF existens aer, dum nul-

Bb

lum

lum exitum invenit, impediatur, quo minus oleum spatium hoc implere queat, quod alias, si L. apertum relinquatur ad oleum, quod ab aeris, intra cavitatem AF contenti, rarefactione propellitur, recipiendum est idoneum.

(3) Quia æqualem semper distantiam a flamma oleum servat, ellychnium non facile consumetur.

(4) Novum oleum lampadi huic infundi potest eam haud movendo aut extinguendo: quatenus saltem occludi G & L, oleumque per N instillari debet, prout ab initio dictum.

Et quamvis lampas hæc non omnibus illis usibus inserviat, qui ab experimentis illis variis, a Dno. Hooke editis, expectari poterant: nihilominus egregiæ utilitatis æstimari debet, ideo quod facile & parvo pretio comparari queat, & pro usibus ordinariis commoda satis sit.

HYPOTHESIS DE STRUCTURA MUSCULI, & ejusdem contractionis ratione,

prælecta Londini, in Theatro Chirurgorum a D. CRONE:

ex iisdem Collectionibus Anglicanis pag. 22. seqq. excerpta.

Postquam monstraveram, & pluribus comprobaveram, motum musculi per hujus fibras tantum fieri, & fibram quamlibet carnosam gaudere vi se contrahendi: hypothesin proponebam de structura fibræ carneæ, siquidem robur totius musculi nihil aliud, quam aggregatum contractionum singularum fibrarum est. Atque hoc quidem faciebam pro ulterius explicanda hypothesi, Anno 1664 impressa typis, & super experimentum, paulo ante ejus gratia coram Regia Societate factum, fundata. In scripto hoc dum asseriebatur, musculus, quando contrahitur, pari ratione ac vesicam flatu distentam intumescere, huncque ad elevandum pondus ingens satis potentem esse, juxta experimentum Societati exhibitum; objectio emergebat, nullam ejusmodi notabilem intumescentiam in musculi ventre conspici; cui ut satisficeret & dogma prædictum clarius explicaretur, hæc adjiciebam.

Nimirum (1.) Supponebam, quamlibet fibram carneam, nempe AEF, ex infinitis & exilissimis globulis seu vesiculis constare; quas commodioris doctrinæ gratia per diversa exigua triangula exprimo, v.g. in dicta fibra ALB, BMC, CLD, DOE, hiantia ad se invicem in apicibus A, B, C, D, E.

T. AB. XI.
Fig. 4.

2. Non

2. Non tantum supponebam, sed probare conabar, cujuslibet musculi succum nutritium, ab arteria hujus profusum & extravasatum intra illius fibras copiose ferri, seu vibratione cordis appulsum his insinuare se, & alii cuidam liquori, quem intra eas offenderet, commixtum per tunicam cujuslibet globuli aut vesiculæ hujus cavitatem subire. Pariter, a qualibet nervi intra muscolum ramificatione alterum materiæ genus, priore fluidius & activum magis, deponi, hocque cum sanguine mixtum quamlibet fibræ penetrare vesiculam, ambo autem agitatione, & ebullitione aut effervescentia perpetua, quæ cum calore nativo, qui causa partim, partim constans adjutor hujus motus est, illudque præstat, quod vitam propriam cujuslibet animalis, quamdiu hoc superstes est, vocamus, globulos hosce semper servat turgidos. Quomodo succus ille ingrediatur, suasque particulas effoetas denuo ad massam sanguineam, per diaphoresin eliminandas, ableget, singulisque momentis novas suppetias recipiat, itidem uberius in nominatis prælectionibus declarare satagebam.

3. Per agitationem memoratam assereram, quamlibet vesiculam ALB, BNC, &c. plus aut minus, quamdiu animal vita aut calore gaudet, distendi.

4. Robur aut energia hujus distensionis, pro contrahenda fibræ AF, aut in semetipsam ab utraque extremitate A & F: aut, si A firmum existat, ab F, sicque elevando aliquod pondus ab F & E, vel membrum quoddam, v. g. Biceps brachium & manum C, olim demonstrabatur, in allegatæ chartulæ fig. 1. & in experimento quodam, quod Ephemeridibus Societatis insertum.

5. Per quatuor has vesiculas indigitatæ respondeo objectioni, quæ contra Principia, in dissertatione supposita, erat mota, atque evinco, fibræ AF (& sic reliquas totius musculi) dum pondus ab F ad E attollit, non tanquam unam & continuam vesicam AKE se a C ad K dilatare, sed innumerabiles has vesiculas singulas ad levissimum & imperceptibile tantum spatium distendi, ac nihilominus in pondere ab F ad E levando, eundem præstare effectum. Ponamus exempli loco quatuor vesiculas: qualibet earum a Q ad L inflata, omnes simul pondus F puncto E æque adducent, ac una major a C ad K tumefacta; cujus propositionis demonstratio facillima est. Quoniam enim tam quatuor parvæ vesiculæ ALB &c. quam major AKE ante distensionem totam

Bb 2

fibræ

bram AF formabant, si æqualis intumescencia tam in una minore, quam in maiore, concipiatur: angulus BAL æqualis erit angulo EAK & angulus ALB angulo AKE, & cuncta parva triangula æque ac primum ALB, ac majus AKE pariter sibi erunt æqualia lateraque sibi proportionalia habebunt, quod de ALQ, & AKC quoque concludendum. Nam quamdiu AKE hæc intumescit, punctum E profundius erit, sc. in F, similique ratione ALB, si non distendatur, punctum B necessario profundius, v. g. in P, erit: Unde etiam, quia AP æqualis est lineis ALB & linea AF lineæ AKE, ex hypothesi, ideo uti se habet ALB ad AKE, ita se habebit AP ad AF, ALB autem se habebit ad AKE, quemadmodum AB ad AE. Si itaque a Proportionalibus AP, AF æquales proportionales AB ad AE, tollantur, Remanentes BP & EF, pariter erunt proportionales: ast Lineæ ALB ex supposito quarta pars sunt linearum AKE, adeoque BP est quarta pars lineæ EF. Hinc quælibet trium reliquarum vesicularum minorum quartam ponderis partem attollet, & per consequens quatuor quartæ, æquales EF simul elevabunt pondus integrum ad eandem altitudinem cum maiore AKE, hocque per unam quartam distensionis; cum probatum fuerit, QL esse quartam partem lineæ CK. Jam si in una fibra loco quatuor vesicularum harum 4000 supponamus, hæc elevabit idem pondus per spacium EF cum quadrimillesima intumescencie portione, & porro cum quadringentesima millesima parte, &c.

6. Atque his suppositis, prolixius declarabatur (1) Ratio circulationis sanguinis in singulis musculis, & quid horum motibus illa conferat: (2) quid perspiratio ex quolibet musculo hic præstet: (3) quod intumescencia quædam in qualibet musculi contractione subfit: (4) quomodo quilibet musculus, dum contrahitur, durior atque compactior evadat: (5) cur quilibet musculus suo antagonista opus habeat: (6) cur in paralyti aut vulnere unius lateris, antagonista ille mox convellatur: (7) cur in fracturis musculus volvatur sursum; (8) cur in animalibus recens mactatis, quamdiu horum caro adhuc calet, adeo multi insultus & contractiones musculorum observentur: & (9) cur musculus per medium dissectus versus utramque sui extremitatem convellatur. Hæc similiaque in Prælectionibus illis fusius exponere conabar, per modum tamen hypotheseos saltem, non vero quod crederem, me verum motus animalis mysterium reperisse, cum mihi fere persuaserim, neminem

un-

unquam explicuisse aut explicaturum vel hoc, vel ullum phaenomenon secundum veram naturæ methodum atque ductum.

EXCERPTA EX EPHEMERIDIBUS ERUDITORUM Gallicis, A. 1681, 24. Martii, De Nutritione infantum,

sine ministerio nutricis.

Post alia plura circa infantium in utero matris sustentationem recens reperta, restat eorundem extra matris uterum salubris & semper æqualis nutritio, eaque eitra nutricis adjumentum, cum talis ab his, ob plures animi affectus, corporis ægritudines, aliaque multa incommoda, minus speranda sit. Reipsa præstari eam in Anglia, ut & in Bavaria, a sublimioris etiam conditionis personis, jam anno 1680, Ephem. 6. recensitum, unaque perficiendi illam modus ibidem expositus fuit. Propositum est pariter istud negotium in Gallia Administratoribus Pædotrophii Exposititiorum, quorum maxima pars alioquin ex mala nutritione, & nutricum incuria perit. Adhibere quibusdam pro hoc fine placuit decoctum frumenti, aliis gelatinam panis, aliis pultem. Donec Parlamentum Parisiense 1680. 19. Aug. negotium istud certis quibusdam Medicis & Chirurgis, ut & binis juratis foeminis, pro communicandis consiliis, committendum decrevit. His itaque visum fuit, licet insignis nutricum sit necessitas, adeo ut optandum omnino foret, ut ad quartum usque mensem saltem haberi eadem queant, pro evitandis crebrioribus istis, quibus infantes adeo teneri obnoxii sunt periculis: non esse tamen impossibile, absque nutricis adjumento infantes tales educare, utut propositi superius modi, non nisi infantibus jam robustioribus, & ablactationi fere aptis conveniant. Cum vero periculosum sit, tentare auxilia per experientiam nondum confirmata, sine ratione vero suscipere aliquid in corporibus adeo delicatis sit temerarium; hæc autem minus persuadeat superius proposita media, modo consideretur status recens natorum, calor eorum debilis, ventriculus infirmus, liquores dissolventes alimenta humiditate nimia fere præfocati; ob id necesse omnino esse, ut nutrimentum lacti nutricis substituentum, tam prope ad chyli naturam accedat, ut nullo fere calore pro digestionem sui indigeat, parum in ventriculo subsistat, distribuatur facile, & principaliter pro evitanda subitanea mutatione, tenerioribus periculosa, cognatum admodum sit, tam nutrimento illi matris, quo in-

fantes nutriti sunt in utero, quam isti nutricum, in cuius locum substituendum venit. Quæ proprietates cum non deprehendantur in decocto frumenti, crudo, ventriculo gravi, & minus a calore tenellorum debili alterabili, eosque absque dubio ad febres aut perniciosos alvi fluxus disposituro, neque in pulte, aut panis gelatina, alimentis crassioribus, & quæ non nisi raro admodum recens natis convenient, & non nisi infantibus 6. vel 7. mensium post primam dentitionem appropriata sint; evidenter omnino exinde sequi, lactis loco, itidem lac, & quidem pro foeminarum isto, illud ex animalibus recipiendum esse, cum historiarum fide jam constet, plures infantes per bestias lactatos esse, & hodierna ex consuetudine, infantes per Variolas insigniter læsi, feliciter capras sugant. In defectu hujus paulo difficilioris modi, Lac Vaccinum adhibendum esse, debitis tamen observatis cautelis, quas inter primaria, ut per modum suctionis recipiatur ab infantibus, quo maxillarum sub suctione motu vasa salivaria melius aperiantur, quoniam salivæ cum alimentis miscela mire horum dissolutionem promovet. Sine temeritate vero tentare hoc licere, posteaquam non ratio tantum persuadeat idem, sed quibusdam etiam e suis, & pauperculis pluribus foeminis bene successerit, donec superatis hoc modo periculis primæ istius ætatis, ad solidiora, ut pultem, gelatinam panis, & frumenti decoctum accessus fieri queat.

Quibus ita definitis, tres adhuc restare conditiones pro meliori successu summe necessarias monent: scilicet ut 1. Lac sit in temperie adeo exacta, ac si immediate ex mammis foeminæ sanæ prodiret, cum alioquin infantum ventriculus minus ferre illud possit; 2. in hoc caloris naturalis gradu continue conservetur; & 3. tam facili labore ab infante recipiatur, ac si ex bonæ nutricis papillis hauriretur. Pro quibus requisitis obtinendis, Dominus du Val, Ingeniarius & Architectus Regius occupatus fuit; pro duobus primis quidem, recipit Vas ingens cupreum intus stanno obductum, in quo contentum Lac vaccinum ad eum caloris gradum calefacit, qui æqualis est calori lactis, ex mammis Nutricis recens mulcti, quæ temperies a præsentē Medico, parum utriusque manui sui imponendo & exacte explorando, dijudicanda sit. Ut æqualis ista temperatura conservetur continue, extrinsecus quidem ignem lampadis ex Spiritu vini accenso dicto vasi supponit, intrinsecus v. Thermometron vasi immittit, in quo contenti liquoris determinata

nata altitudo regula est infallibilis gradus caloris in lacte conservandi: cujus machinæ delineatio in Ephemerid. c. l. videri potest. Tertio vero requisito, facilis suctionis, satisfacit per mammas artificiales, ad imitationem mammarum nutricis bene constitutæ conformatas, quas parvis vasis stanneis artificiose accommodat, exque pelle caprina aliave subtili fabricat, aut cum hæc minus durabilis sit, & ob subtilitatem per suctum infantum relaxetur & emolliatur citius, potius telam sericeam tenuem (alias Taffent) ceu magis durabilem recipit. Ut vero continue tumentes ac turgentes maneant, pilis equinis certo modo præparatis eas replet. Sic enim molles æque ac tractabiles erunt, ut citra ullam læsionem infantes gingivas applicare, & maxillæ motu salivæ profusionem una adjuvare queant.

HERMANNI VVITSI,

S. Literarum in Ecclesia & Academia Ultrajectina

Doctōris & Professoris

EXERCITATIONES SACRÆ in SYMBOLUM, quod APOSTOLICUM dicitur.

Franequeræ 1681. in 4.

Autor a Commentariis, quos de *Fæderum Divinorum Oeconomia* ante quadriennium edidit, satis notus, id ante omnia de his Exercitationibus Sacris in Præfatione ad Lectorem præmonendum ipse arbitratus est, non Eruditis eas scriptas esse, sed discipulis solum, atque Auditoribus suis, quibus facem ad Religionis suæ Praxin genuinam præluere voluit. Non enim putavit committendum esse, ut qui e disciplina sua ad sacros venirent ambones, sublimibus fortasse, sed frigidis Dissertationibus, aut calidis etiam, sed parum profuturis Disputationibus plebis Christianæ aures obtunderent, animos interim nullo rerum cœlestium gustu, nulla Divinarum consolationum dulcedine, nullo veræ pietatis amore imbuentes. Hinc totam orationem veri Theologi ita componendam esse docet, ut mens cum stupore quodam in admirabilium veritatum meditatione defixa cœlesti se ardore inflammari sentiat, ad vitam, sicuti tantarum rerum cognitione ac fide dignum est, instituendam. Auditorum etiam mentes ita vult informari, ut diligenti suscepto examine ex gnorismatis infallibilibus dig-
gnosceret

gnoscerent, num ad se quoque Evangelii promissa pertineant. Adeoque nullum esse demonstrat Theologiæ caput, quod non eximiam quandam ad hanc rem vim habeat. Atque is quidem primarius sex & viginti harum Exercitationum Sacrarum de præcipuis Religionis Christianæ articulis ex Symbolo Apostolico deductis scopus, atque finis unicus est. Et quamvis initio constituerat Autor, ea quæ ad Theoriam pertinent, tanquam ex Institutionibus Catecheticis, Systematibus Theologiæ, & Locis, quos vocant communibus nota supponere, in gratiam tamen Auditorum suorum non intermisit, etiam quo ordine, & quo argumentorum selectu dogmata ista tractanda existimaret, tradere. Hinc factum est, ut in ipsa Dogmatum e. S. literis repetitione fuerit aliquando prolixior, & occasione ita ferente τὸν ἐτεροφρονέων quoque torsiones refutarit. In argumentorum autem selectu & tractandi methodo, sua quadam usus est libertate, qua fraudandum non esse putat eum, qui veritates omnes usque adeo factas rectas esse cupit, ut iis illustrandis, confirmandis, & ad verum suum usum transducendis, omnem suam operam impendat. Ad calcem hujus libri adposuit Indicem, Exercitationum singularum Breviaria vel summas complectentem.

EVOLUTIO INSIGNIUM SERENISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI Ducis Saxonie &c. &c. juxta Artis Heraldicæ principia ex Historiarum monumentis adornata studio Bernhardi Zechii, Serenitatis sue a secretis Feudalibus.

Frankof. & Lipsiæ, ap. Christian. Gentschium 1682. in fol.

TRes hoc opusculum Tabulas continet, quarum una Saxo-Gothanorum Ducum insignia, duabus reliquis eorundem genealogia, ante oculos ponuntur. Discursus ipse duabus sectionibus absolutus, quarum prima Insignium illorum Scutum, ejusque parvulas ac areolas singulas: altera galeas scuto incumbentes ex genuinis Artis Heraldicæ regulis, & Annalium fide explicat, paucis etiam de Ordinis Elephantini, in quem anno 1678 Sereniss. Princeps Fridericus receptus est, Insigni, Principisque symbolo, *Pietate, Prudentia & Justitia*, subjectis. Non potuisse vero non simul Saxonica Domus Antiquitates, ejusque in tot provincias Domini originem ea occasione ab Auctore attingi, ac illustrari, conjicient facile, qui norunt, quam arcto nexu Ars Heraldica & Historia inter se vinctæ sint.

